

20/a

S E R M O  
C E L S I S S I M I ,  
REVERENDISSIMI  
S. R. I. PRINCIPIS  
**J O S E P H I**  
E COMITIBUS  
DE BATHYAN,

PERPETUI IN NÉMETH - ÚJVÁR ,  
DEI , ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA  
ARCHI - EPISCOPI STRIGONIENS.


LEGATI NATI  
PRIMATIS REGNI HUNGARIÆ  
SUMMI , ET SECRETARII CANCELLARII ,  
Insignis Ordinis S. STEPHANI Regis Apostolici  
Prælati Perpetui , &

MAGNÆ CRUCIS EQVITIS ,  
Comitatum Castriferrei Perpetui , Strigoniensis vero  
Supremi , & æque Perpetui Comitis , utriusque Sacrae Cæsareæ , &  
Regiæ Apostolicæ Majestatis Actualis Intimi Status , & Excelsi Con-  
sili Locumtenentialis Regii Consiliarii , Excelsæ item Tabulæ  
Septemviralis Co - Judicis , &c.

HABITUS TYRNAVIAE ,  
Die IIda Mensis Julii , Anno M. DCC. LXXVI  
D U M

P A L L I U M  
ARCHI - EPISCOPALE  
SUSCEPIT , ET PRIMO ACCESSIT ,  
AD  
ECCLESIAM TYRNAVIENSEM ,  
N U N C  
METROPOLITANÆ VICES SUSTINENTEM .





Exultantes in visceribus Matris Vestræ Venerabiles  
Fratres, & Filii Dilectissimi ! hodierna die  
memoriæ Mariæ Elisabeth Visitantis Sa-  
cra , Festivos inter applausus excipitis oc-  
currentem in amplexus Vestros Neo-Sponsum ipsismet Ec-  
clesiæ Vestræ Strigoniensis cæterarum Ecclesiarum Prin-  
cipis , & Matris visceribus jam antea constrictum , primis  
vocationis Nostræ principiis imbutum , sacro subinde Se-  
natui Vestro adlectum , Majorum Vestrorum consiliis , con-  
suetudine formatum , & ad hodierni fœderis solennia jam  
jam paratum , suffragiis Vestrīs & tunc annuntiatum.

Quæ cuncta dum meæ recurrent memoriæ , totidem  
& mihi exultationis , & erga Vos grati animi , & fiduciæ  
sunt argumenta. Benedico DEUM , & Patrem Domini  
Nostrī JESU Christi , qui secundum suam Misericordiam  
magnam fecit mihi. Cujus incomprehensibilia sunt Judi-  
cia , & mirabilia opera , veneranda magis , quam per-  
scrutanda. Si etenim Pastoralis Officii , quod humeris

◆ ◆ ◆

meis imponitur magnitudinem , & etiamnum amplitudinem ; si Ecclesiæ hujus Sponsæ meæ contempler præcelentiam , præminentiam , decoram numerosorum adeo Filiorum Matrem , cujus omnis gloria ab intus : Si meam ipse mecum reputem imbecillitatem , exclamandum profecto mihi in mille solicitudines coniecto : Quis ego sum Domine , ut constitucas me super Familiam tuam ? Unde hoc mihi magnum , illustre , excelsum Pastorale munus ? quod Apostolorum Principi nonnisi posteaquam semel , atque iterum , & tertio , se plus cæteris diligere Dominum profiteretur , creditum fuit : ut & Petrus intelligeret , & Nos edoceremur , quantum sibi curæ sit gregis hujus præfectura , quem non corruptilibus Auro , & Argento , nec taurorum aut hircorum , sed proprio aquisivit sanguine ; quem de manu nostra requisitorum se per Ezechiel minatur , si debitum Pastoralis Officii munus socordes , & desides tepide impleverimus . Quis ego ? quæ vis ? quæ virtus ? quæ facultas mea ? ut tam pretiosi , tam Nobilis , tam numerosi gregis Pater , tam fœcundæ Filiorum Matris Sponsus efficiar ! Quid agendum ? quo curæ convertendæ ? qui gregem hunc Domini contra incursionses hostium tuendum , qui navis istius in procelloso hujus Seculi mari gubernaculum suscipiam ?

Vigilandum mihi , custodiendæ vigiliae noctis : *Cum speculatorum me posuerit Dominus domus Israël , & consti- tuerit me hodie super gentes , & super Regna , ut evelam , & destruam , & disperdam , & dissipem , & ædificem , & plantem.* A) Quaqua versum enim oculos in fertili hoc agro Domini circumferam , occurrit late grassantium errorum copia ; sentiendi , vitæque effrenis licentia . Frequentes se offerunt , qui derelicto fonte aquarum viven- tium ,

❖ ❖ ❖

tium , foderunt sibi cisternas veteres. Quot sunt ? qui nihil credendum esse statuant, nisi quod infirmis , & calligantibus rationis suæ oculis verum , perspicuumve vi- sum fuerit? quorum alii Religionem necessariam ad Re- gnorum conservationem , alii contra perniciosa Regnis contendunt , dicentes : quæstum esse pietatem. DEUM bonum ! est equidem ut ait Apostolus : *Quæstus magnus pietas , cum sufficientia : nihil enim intulimus in mundum , haud dubium , quod nec auferre quid possumus : quæ enim seminaverit homo , hæc & metet.* A) Cujusmodi occur- rentes meditationes , hodiernæ Solemnitati propriæ , in- terrumpere profecto possent exultationum argumenta , & non mirum videri , si in hæc tot errorum multiplicitate , tanta de Religione differendi prurigine , sententias Scri- pturæ depravandi temeritate , & ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem asuetudine , innovatio- num ipsarum periculis , non sine trepidatione tam implexo muneri humeros subjiciam , & erectus cæteroquin animus nonnihil conturbetur.

Erigit tamen me in primis omnipotentis DEI miseri- cordia , *ex quo omnis sufficientia Nostra est.* b) Qui dat velle , & perficere. Accingam itaque lumbos meos , & surgam , loquar ad Universos omnia , quæ præcepit Do- minus. Ille enim dabit verba sua in ore meo , qui me dedit hodie in Civitatem munitam , & in columnam fer- ream , & in murum æreum super omnem terram , Regi- bus Juda , Principibus ejus , & Sacerdotibus , & Populo terræ. Auget fiduciam meam , & erigit animum , In- signis Augustæ Domus Austriacæ , Regis Apostolicæ , cu- jus , & miserentis DEI gratia ad hujus Ecclesiæ regiminis

A) I. Timoth. 6. v. 6.

B) 2. Cor. 3. v. 5.

❧      ♦      ❧

fastigium vocatus sum , non interrupta in DEUM , & Religionem pietas. Sublevat imbecillitatem dein meam , vester Illustrissimi Ecclesiarum Antistites ( quorum conspectus mihi est longe jucundissimus ) Vester inquam Illustrissimi Ecclesiarum Antistites , Religionis Præsides , Fidei Custodes , quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam DEI ; Apostolicus Religionis Zelus , invictum Episcopale robur , testata erga me non vulgaris benevolentia. Vestro Consilio , Vesta Prudentia , opus habet auctoritas Nostra. Vesta Sapientia , Vestro Præsidio fulciri debet infirmitus mea. Legatione una fungimur pro Christo : *Obsecro vos itaque , ut solliciti sitis servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. . . . Ad consummationem Sanctorum , in opus ministerii , in ædificationem Corporis Christi.* A)

Confirmat me demum , metuque non modicū liberat , hæc *Castrorum acies ordinata* : b) quam seu coram adstantem , seu per late diffusum agrum hunc Domini pro custodiendo grege remanentem , fortibus lacertis , frequentibusque victoriis Illustrem cerno. Confirmat inquam me Sacræ hujus , ac suos in Ordines distributæ militiæ robur , & numerus , atque in sternendo , fugandoque veterano humani generis hoste , qui homicida fuit ab initio , longo usu adepta dexteritas.

In vobis autem vel maxime fixæ sunt spes meæ , Venerabiles Fratres , Consiliarii , ac Adjutores mei. Vos Sponsam hanc meam circumdantes , & ministrantes Domino , mire ornatis , & Sedem hanc meam decoratis , & defenditis. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambient , ex fortissimis Israël. Omnes tenentes gladios , & ad bella*

---

A) Ephes. 4. v. 3. & 12.

B) Cant. 6. v. 3.

❀ ❁ ❁

*bella doctissimi. Uniuscujusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos. A)*

Quoties vos coram Tabernaculo Domini Vestris in subselliis assistentes Divinis Officiis intueor; videre mihi videor Apocalypticos illos quatuor & viginti Seniores, qui procidebant coram Agno, habentes singuli Cytharas, & Phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Vos quotidie sacrificium propitiacionis offerentes Domino, prociditis coram Agno immaculato, & Cytharas, ac Phialas plenas odoramentorum exhibetis; psallentes, & cantantes Canticum Domino. Est Vestra Charissimi vocatio, cœli quædam imago. Angelorum, semper hymnos DEO canentium, expressa similitudo. Status Vestri dignitatem, Nobilitatem, Excellentiam considerantes, vitam, gradus sublimitati minime absimilem ducere studete. *Vos estis lux mundi.* Sic luceat lux Vestra coram hominibus, ut videant opera Vestra bona, & glorificant Patrem Vestrum, qui in Cœlis est. *B)* Habitus, gestus, incessus, sermo, aliaque omnia, nihil, nisi grave præferant. In hymnis & Canticis, DEI nomen reverenter, distincie, & devote laudate. Corruscat in vobis Fides, fulgeat spes, ferveat charitas; ut Christi bonum odorem late in omnes spargentes, lanquentes erigatis, debiles consolietis, & infirmos sanitati restituatis. *Ante omnia autem mutuam in Vobis metipsis Charitatem babete. C)* Qui enim diligit legem implevit. Plenitudo ergo legis est dilectio. *D)* Ut qui ex adverso est, vereatur, nihil habens mali dicere de Vobis. *E)* Sicut autem de virtute Vestra, charitate, integritate, pietate obedientia, industria, sagacitate, & Zelo affatim per-

A 4

sua-

A) Canti. 3. v. 7.

B) Matth. 5. v. 16.

C) I. Petri 4. v. 7.

D) Rom. 13. v. 10.

E) Tit. 2. v. 8.

❧      ♦      ❧

suafus sum , propria experientia pridem edoctus , ita plurimum Consilii , auxilii , & adjumenti a Vobis acceptum me , plane confido. Nec quidquam prætermittam eorum vicissim , quæ ad Vestra commoda , decora , & ornamenta , qua tuenda , qua augenda , seu in communi , seu etiam in particulari pertinere cognovero.

Non postremum mihi præsidium in Vobis est Filii dilectissimi ! qui dispersum per Diœcesim hanc gregem Dominicum verbo DEI pascitis , & sustinetis pondus diei , & æstus. Genus electum ! Populus aquisitionis ! *Pascite , qui in Vobis est gregem DEI.* a) Unicuique Vestrum credita est portio gregis : Unicuique tradita vinea Domini Sabaoth. Plantate , rigate ; quod perierat , requirite ; quod abjectum , reducite , quod confractum est , alligate , quod infirmum , consolidate , quod pinque , & forte , custodite , quod perniciosum est , evellite , quod infestum , dispergite , quod superfluum , & noxiū , rescindite *Gladio spiritus , quod est Verbum DEI.* b) Vobis dici existimate Verbum , quod factum est ad Ezechiem Prophetam : *Si dicente me ad impium , morte morieris ; non annuntiaveris , neque locutus fueris , ut avertatur a via sua impia , & vivat ; ipse impius in iniuitate sua morietur , sanquinem autem ejus de manu tua requiram.* c) Ut cum villicationis Vestræ rationes subinde cælestis Pater familias exegerit , cum Apostolo gloriari valeatis : *Mundus sum a sanguine omnium , non enim subterfugi , quo minus annuntiare omne consilium DEI Vobis.* d) Credite mihi , tantæ Populorum licentiæ , disciplinæ relaxationis , fidei , ac pietatis in Ecclesia diminutionis , prima ; ac præcipua causa est , defectus auditionis Verbi DEI. Ad  
hujus

---

a) I. Petr. 5. v. 2.    b) Ephes. 6. v. 17.    c) Ezech. 3. v. 18.    d) Acto-  
rum 20. v. 26. & 27.

❧      ♦      ❧

hujus itaque auditionem, Fidelium animos plurimum alli-  
cere, & excitare satagite.

Arguite, obsecrate, increpate, sed in omni patientia, & doctrina. Adhibita nimirum mensura, expensa temporis opportunitate, visa vulneris qualitate. Nam secta immature vulnera deterius infervescunt, & nisi cum tempore medicamenta convenient, constat procul dubio, quod medendi vim amittant. Sacra Vestra pro Concione Oratio, non persuasilibus humanæ Sapientiæ verbis obstrepit auribus, sed captui Auditorum accommodata, in eorum animos ostensione spiritus illabatur. Parvulos, tanquam infantes modo genitos nutrite doctrinæ lacte. Ut autem sermo Vester sit efficax, & penetrabilior *omni gladio ancipi*ti, & *pertingens usque ad divisionem ani-*mæ. A) Vos ipsos exemplar bonorum Operum exhibatis, oportet; in doctrina, in integritate, pietate; ut non vituperetur ministerium nostrum. Avaritia nec nominetur in Vobis: *Radix enim omnium malorum est cupiditas; quam quidam appetentes, erraverunt a fide, & inferuerunt se doloribus multis.* B) *Turpe nimis est* ( ait S. Gregorius c) ) *Turpe nimis est, ibi nos negligendo ca-*dere, unde prædicando conati sumus alios levare. Sit vita Vestra speculum, in quod conjicentes oculos Fideles, summant, quod imitentur.

Vos vero Pubes sacra, gaudium & Corona mea!  
novellæ plantationes! tenella Sponsæ meæ germina! ve-  
nите Filii, audite me, timorem Domini docebo Vos!  
quibus præliandum erit subinde prælium Domini, dimi-  
candum cum tartareis potestatibus. Attendite lectioni,  
exhortationi, & doctrinæ; ut cum creditum Vobis fue-

❧      ♚      ❧

rit munus Evangelii, possitis exhortari in doctrina sana,  
& eos, qui contradicunt, arguere. Tanta Vobis in  
hac Civitate non tantum de Prælatorum Vestrorum pro-  
videntia, sed & profusa Magnæ illius scientiarum, &  
communis Patriæ Nostræ Matris, Augustæ MARIAE  
**THERESIAE** ( quam DEUS longitudine dierum re-  
pleat, & solium ejus in seram usque posteritatem confir-  
met ) munificentia, & solicitudine, omnis eruditionis af-  
sequendæ opportunitas, & comoditas parata est, ut in  
nulla profecto alia quidquam copiosius queat desiderari.  
Sacris disciplinis animum excolite, non contenti vani  
nominis scientia. *Devitantes profanas vocum novitates,*  
*& oppositiones falsi nominis scientiæ.* A) *Fides Vestra non*  
*fit in sapientia hominum, sed in virtute DEI.* B) Timete  
Dominum! iterum dico, timete Dominum! initium enim  
Sapientiæ, timor Domini, & nihil deest timentibus eum  
Satagite ut per bona opera, certam Vestram vocatio-  
nem faciatis. Induite Vos nunc armaturam fidei, per  
constans virtutum exercitium, mortificationem passio-  
num, & concupiscentiarum, quæ militant adversus spiri-  
tum; ut possitis in die mala resistere, & tela nequissimi  
extinguere. *Fili accedens ad servitutem DEI, sta in ju-*  
*stitia, & timore, & præpara animam tuam ad temptationem*  
c) *omnes namque, qui pie volunt vivere in Christo persecu-*  
*tionem patientur.* D)

Vobiscum porro mihi est sermo, diversorum ordinum  
Religiosi Viri! qui a foro, atque a Populari consuetudi-  
ne abhorrentes, minacesque seculi fluctus metuentes, ut  
cimbam Vestram in tuto collocaretis, relictis omnibus,  
vos in foramine Petræ abdidistis. Ad pedes Domini  
cum

---

a) 1. Timoth. 6. v. 20.    b) 1. Corinth. 2. v. 5.    c) Eccli. 2. v. 1.  
d) 2. Timoth. 3. v. 12.

❧      ♦      ❧

cum Maria manere , quam cum Martha ministrare maluitis. Vobis quidem adhærere DEO bonum est , adjuvare tamen eos , qui cum Martha ministrant Fidelibus , qui pabulo Verbi DEI pascunt , ac nutriunt Fidelium corda ; jussi , & vocati alacri animo , non turpis lucri gratia debetis , sed quodcunque facitis , ex animo operamini , sicut Domino , & non hominibus : scientes , quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis . A ) Vos idcirco plures in eodem contubernio , eodem sub tecto congregati una vivitis , ut pro iis , qui in procelloso hujus Seculi mari navigant , & secularibus curis detinentur , in portu salutis constituti , Dominum & junctim , & per vices alternantes assiduo deprecemini . Cum enim levaret Moy-ses manus , vincebat Israel ; sin autem paululum remisisset , superabat Amalec . B ) Ne lassentur igitur manus Vestræ in exorando Dominum , sed sine intermissione eo , quo par est fervore , mundo corde , cum fiducia levantes manus , clamoribus Vestris , in hymnis , & canticis laudantes Dominum , Divinæ Misericordiæ sinum cunctis referate . Sint preces Vestræ humiles , & supernæ charitatis igne inflamatæ : ut sicut Moyses dextram Domini ad flagella super Populum suum effundenda , pœnasque de illo sumendas , jam expeditam retinere valeatis . Unde ego quoque peto , ut Vestra me Oratio talem faciat , qualis & mibi valeam , & Vobis prodesse . Potens est indi-gno mibi , & infirmo , ex Vestra intercessione ista tribuere , qui ex sua pietate pro Nobis dignatus est infirmari . Vir-tus enim DEI est , atque sapientia , qua nostram infirmitatem sumpsit , ut ex sua nos infirmitate roboret JESUS Christus Dominus noster . C )

Ad

A) Colos. 3. v. 23.

Ezechiel.

B) Exod. 17. v. II.

C) S. Gregor. Hom. 21. in

❧      ❧      ❧

Ad Vos denique convertor jam Filii Charissimi ! Popule meus ! Vinea Domini Sabaoth ! Oves pascuæ meæ ! Audite vocem meam. Non doctas fabulas secuti annuntiamus omne Consilium DEI Vobis. *Apparuit enim gratia DEI, & Salvatoris nostri JESU Christi, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobrie, juste, & pie vivamus in hoc Seculo, expectantes beatam spem, & adventum gloriae magni DEI.* A) *Qui multifariam, multisque modis olim loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus ipsis locutus est nobis in Filiō.* B) State in fide, sine qua impossibile est placere DEO. Quæ cum sit sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium, salutis humanæ initium, radix, & fundamentum omnis nostræ justificationis, non in persuasibus humanae sapientiae verbis, sed in auctoritate summe sapientis, & veracis DEI revelantis radicetur, est necesse. Oportet, quæ supra nos sunt fide venerari, non ratione inquirere. *Imbecillior quippe mens hominis est, quam ut intelligentia ista capere possit.* c) Ad naturam puerorum per credulitatem, humilitatem, simplicitatem, & obedientiam nos Dominus vult redire, ut ad cœleste Regnum mereamur pervenire. Hi enim Patrem sequuntur, Matrem amant, dictis credunt, & quod audiunt, verum habent. Unde quæ a sapientibus, & prudentibus abscondita sunt, illis revelantur. Quia vero, *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi;* d) Frequenter, & attente Verbum DEI audite. Nullus adeo sapiens, nullus tanta sacrarum literarum intelligentia prædictus videri sibi debet, ut ab obligatione audiendi Verbi DEI se liberum existimet. Quando ipse DEI Filius, æterni Patris sapientia, in horto per

---

A) Thess. 2. v. II.    B) Hebr. 1. v. I.    C) S. Cyrill. Alexand. lib. 2. in Jud.  
D) Rom. 10. v. 17.

❧      ❧      ❧

per creaturam , Angelum videlicet , voluit confortari . Identidem mente revolvite illud effatum Salvatoris : *Qui ex DEO est, verba DEI audit.* A) Oves vocem Pastoris audiunt . Si de grege Domini esse , si admitti ad æterna tabernacula cupitis , vocem Pastoris audire debetis . Quam obrem Sacrosancta Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata dissertis verbis vos monitos vult , teneri unumquemque Vestrum Parochiæ interesse ad audiendum Verbum DEI . B) Sicut autem Fides sine operibus mortua est , ita non auditores tantum , sed factores legis justificabuntur . Idcirco : *Induite Vos sicut electi DEI, Sancti, & dilecti viscera Misericordiæ, benitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: supportantes invicem, & donantes Vobismet ipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut Dominus donavit Vobis, ita & Vos.* Super omnia autem hæc charitatem habete , quod est vinculum perfectionis . C)

Hic vero attendere vellem vos omnes monitis magni gentium Apostoli . *Si fidem babuero* ( ait Apostolus ) *ita, ut montes transferam, charitatem autem non babuero, nihil sum.* Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas , & si tradidero corpus meum , ita , ut ardeam , charitatem autem non babuero , nihil sum . D) Charitas ergo Filii dilectissimi non est in bonorum operum apparentia , non in verborum jactantia . Necesse itaque est , ut intelligatis noscere charitatem in singulis prope dictionis meæ Paragraphis , tam solicite , singulis commendatam . Charitas ( ait idem gentium Apostolus ) *patiens est, benigna est. Non æmulatur, non agit perperam, non inflatur; non est ambitiosa, non querit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum.* E) Hanc si habueritis , facile , & suapte implebitis inde fluen-

A) Joan. 8. v. 47.

B) Sess. 24. de refut. c. 4.

C) I. Coloss. 3. v. 14.

D) I.

Cor. 12. v. 1.

E) Ibid. v. 4.

❧      ♦      ❧

fluentia perfectionis præcepta , cuiusvis conditionis , & statutus hominibus magis propria ab eodem Apostolo aliis in locis commendata. *Mulieres subditæ estote Viris , sicut oportet in Domino. Viri diligite uxores Vestras , & nolite amari esse ad eas. Filii obedite Parentibus per omnia , hoc enim placidum est Domino. Servi obedite per omnia Dominis carnalibus , non ad oculum servientes.* A) *Doctrinis variis , & peregrinis nolite abduci. . . Obedite Præpositis Vestris , & subjacete eis , ipsi enim pervigilant , quasi rationem pro animabus Vestris reddituri.* B) *Omnes honorate , Fraternitatem diligite , Regem honorificate.* C) *Reddite omnibus debita: cui tributum , tributum: cui vestigal , vestigal: cui timorem , timorem: cui honorem , honorem.* D) *Vigilantes in omni instantia , & obsecratione pro omnibus Sanctis ; & pro me orate , ut detur mihi Sermo in aperitione oris mei cum fiducia notum facere mysterium Evangelii , pro quo legatione fungor. Ego vero libentissime impendam , & super impendar ipse pro animabus Vestris.* E) *Ut cum Princeps Pastorum apparuerit , occurrere eidem latus , & dicere valeam: Quia quos dedisti mihi , non perdidi ex eis quemquam.* F) *Quod summa sit omnis consolationis meæ.*

- 
- A) Coloff. 3. v. 18.    B) Hebr. 13. v. 17.    C) I. Petr. 2. v. 17.    D) Rom. 13. v. 7.  
E) 2. Corinth. 12. v. 15.    F) Joan. 18. v. 9.

